

P I S A

1 6 0 8



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Hd. 11.

VI

an 6 [7]



DISPUTATIO
DE
ENVNCIATIONE
BVS PRIOR,

Quam
Deo Duce, & consensu Amplissimi collegij Phi-
losophici in celeberrima Witebergensium Academia

Sub praesidio
M. IOHANNIS GISENII
Osnaburgo- Westphali, publicè
defendere conabitur.

FRIDERICVS ARNOLDVS SCEV-
dicensis Misnicus,

Ad diem 19. Septembris in novi Collegij audito-
rio maiore horis matutinis.

Horatius lib. 1. Car. Od. 24.

Durum, sed leuius fit Patientia,
Quicquid corrigere est nefas,

VVITEBERGÆ,

Typis Mullerianis, 1 6 0 7.





VIRIS REVERENDIS,
CLARISSIMIS ET DOCTISSIMIS

DN. VINCENTIO SCHMUCKIO,
SS. Theolog. Doctori, Professori in Inclytà Aca-
demià Lipsensi Publico, & ad D. Nicolai Pastori
Vigilantissimo, Mæcenati, fautori, & pro-
motori suo reverenter obser-
vando,

NEC NON

DN. M. ABRAHAMO SVARINO, EC-
clesiæ Delicensis Pastori, & Superattendenti Vigi-
lantissimo, patrono, fautori & studio-
rum suorum auctori parentis loco co-
lendo,

Hanc exercitationem Logicam in debitam
animi gratitudinem, observantiam
& honorem debitum

Dedicat & consecrat Respondens!

THESIS I.



Ad tria referri possunt omnia Logice propria, quorum primum prima respondet operationi mentis, & simplicium apprehensio indigitatur: Secundum consistens in compositione & Divisione secunda mentis operationi respondet: Tertium denique, quod continet Syllogismum & Methodum, tertia. Zabarel.

de Nat. Log. cap. 3.

2. Itaque non immerito primus tribuitur locus simplicium apprehensioni: Secundus Compositioni & Divisioni: tertius Discursui: Omne enim simplex prius est composito, & minus compositum, prius est magis composito Arist. 2. de celo cap. 4. t. 22.

3. Itaque ineptus videretur ille, qui pertractatis compositione & Divisione, nec non discursu, agendum esse censeret de simplicium apprehensione: Ineptior, qui eam imperfecte traderet: Ineptissimus, qui eam plane intermitteret.

4. Missis jam ijs, quae prima & tertia respondent mentis operationibus, de illis agemus, quae respondent secunda, per quae fit declaratio, sicut per illa, quae respondent tertiae fit probatio.

5. Unica voce nominari haec solent Enunciatio, Effatum, Propositum, & minus forte convenienter Propositio. Propositio enim dicitur tanquam proposita conclusioni, Zabarel. 1. Post. ad context. 13. Reg. lib. 3. Disput. pag. 21.

6. Et licet Enunciatio, Quaestio, Propositio, Conclusio realiter sint idem, ratione tamen differunt. Vide Arman. de Bello visu Tract. 2. cap. 298.

7. Enunciatio verò est coniunctio simplicium terminorum esse aliquid vel non esse enuncians.

8. Consistit integra Enunciationis consideratio in tribus. 1. in consideratione partium, 2. Divisionum, 3. Affectio- num.

9. Partes sunt signantes vel signata. Nam quando audimus voces, duo in nobis gignuntur conceptus, alter ipsius vocis aut scripturae, alter rei significatae, quorum prior dicitur non ultimatus, qui

et 2

commodius

commodius forte medius diceretur; Posterior ultimatus. Fons. pag. 19.
Instit. Dial.

10. *Partes signantes representant partes signatas, ut sunt: Nomen & Verbum.* Nomen est vox significans ex instituto, omnis expertis temporis, cuius pars nulla quicquam declarat separatim. Arist. de Inter. cap. 2.

11. *Nomen consideratur, 1. grammaticè & quidem ratione terminationis, declinationis &c. 2. Logicè quatenus est Symbolum rerum: Inde quod Grammatico est verbum, Logico saepe est nomen, & vice versa, ut didicisse fideliter artes &c. hic didicisse Grammatico est verbum; Logico nomen.*

12. *Genus nominis est vox, quod distinguit nomen à sono, conceptibus & scriptis. Vocabulum significans, rejicit, 1. voces, quæ nihil significant ut Zindapsus, Blictri, 2. voces, quæ consignant, ut Prepositiones & Coniunctiones.*

13. *Additur ex instituto, ut voces positive intelligantur, quæ ad placitum hominum alicuius rei signa constituuntur, rebusq; ab hominibus imponuntur; & ut rejiciantur voces naturales, quæ apud omnes homines ex naturali dispositione idem significant, ut gemitus ab aegroto emissus apud omnes populos significat dolorem, aegritudinis.*

14. *Subijcitur sine tempore, ut distinguatur nomen à verbo, & etiam à Participio. Hæc enim ad significant tempus, seu significant rem cum tempore.*

15. *Deniq; vocabulum Separatim rejicit orationes, cuius partes separatim significant. At nominis partes, ut vocabuli, hominis; nihil separatim denotant.*

16. *Verbum est vox ad significans tempus, cuius pars nulla significat separatim, semperq; est nota eorum, quæ de altero dicuntur, Arist. lib. de Inter. cap. 3.*

17. *Percipitur definitio verbi facile ex explicatione Definitionis Nominis. Duo verò sunt, quæ distingunt verbum à Nomine: Prius est, quod ad significet tempus seu consignificet rem cum tempore. Occurunt itaq; in verbo duo: Res significata, & modus rei v. g. legit, significat rem videlicet lectionem, & tempus præsens. Posteriorius*

rius est, quod nunquam possit esse suppositum, seu quod semper teneat vicem predicati.

18. Partes signatae, quae propriè dicuntur partes, sunt duae: In duas enim partes enuntiatio tantum resolvitur Fonseca Institut. Dial. lib. 6. cap. 9. pag. 290. Dicuntur partes haec una voce Terminus. Terminum dicit Monlorius lib. 1. de Ratio. pag. 5. appello hoc locum eam partem, in quam dissolvitur pronunciatum h. e. attributum, & subiectum, de quo dicitur attributum.

19. Duabus vocibus dicuntur Antecedens & consequens, Arist. 1. Prior. cap. 27. vel subiectum & predicatum. Subiectum est nomen, de quo affirmatur vel negatur aliquid, Fonse. pag. 24. Intelligitur igitur per subiectum hoc loco subiectum attributionis.

20. Officium eius est recipere manifestationem & lucem à predicato illatam.

21. Prædicatum dicitur id, seu est verbum, quod de nomine affirmatur vel negatur, vel potius enunciatur. Fonse. pag. 24.

22. Itaq; nomen nudè & in se consideratum nunquam prædicatur, sed cum verbo coniunctum de nomine prædicari potest.

23. Itaq; in hac Enunciatione, homo est justus, vocabulum justus non est prædicatum, sed esse justum, est prædicatum.

24. Itaq; copula est σύνταξις ἢ σύνταξις. Officium enim predicati est manifestationem & lucem subiecto inferre. At prædicatum in Enunciatione trinaria, uti nominari consuevit, nihil potest manifestare nisi copula adsit vel subintelligatur Monlorius pag. 6.

25. Et tantum de partibus: Dividitur verò Enunciatio vel immediatè vel mediatè in species. Immediata eius species sunt axioma simplex & compositum. Confer. Reg. Diss. Log. l. 3. prob. 4. pag. 48.

26. Enunciatio simplex est, quæ unum de uno enunciat sive unum illud sit simplex, sive ex multis compositum. Fonseca lib. 5. Institut. Dial. cap. 3. pag. 101. Sive simplex est quæ uno & simplici complexu proponit aliquid esse, vel non esse.

27. Idcirco simplex dicitur non quod omnis omninò compositionis sit expers; (Constat enim ex notionibus seu argumentis) sed ob simplicem & unicam sententiam, quam enunciat. Hinc



Philosophus lib. de Inter. cap. 5. §. 4. vocat eam simplicis unitatis
Enunciationem.

28. Philippo dicitur Categoricala, quod perspicua asseveratione
unum quiddam affirmet, aut neget. Philosophus de inter. cap. 5. §.
1. nominat eam πρῶτον λόγον ἀποφαινεύον, hoc est, primario dictam
Enunciationem, quod in ea sit unitas complexionis primaria. Est enim
Enunciatum simplex unum per se; coniunctum verò est unum per
aliud Gocl. part. 3. Prob. quest. 10.

29. Non incommode dixeris, quod enunciationem simplicem
constituat vinculum verbi continendo terminos, & quasi integran-
do totum partibus seu membris conjunctis Libavius de Dial. Arist.
Dialog. 2 pag. 187.

30. Est enim verbum hoc loco nihil aliud quam vinculum, quo
mens in cogitando seu concipiendo argumenta inter se coniungit.
Cave igitur per verbum primario intelligas verbum Gramma-
ticum.

31. Simplex Enunciatio est simplicissima, vel non simpli-
cissima Flacius Logic. Gen. lib. 4. cap. 2. Simplicissima est, quæ
constat ex Nomine & Verbo Est, ut homo est, Logica est.

32. Non simplicissima est, quæ non est absolute simplex,
sed conjunctione, συνδεδεµένω sive per copulam una, ut: homo est
animal, homo loquitur, h. e. est loquens.

33. Continentur in his potestate hæc simplicissima, homo est.
Si enim non est, neq; animal est, neq; loquitur. Flacius pag. 277. Po-
test igitur in simplicissimam resolvi, Goclen. parte 3. Problem.
quest. 10.

34. Neq; tamen duo in his predicantur de uno: In Enunciatione
enim trinarum vocabulum Est, est tertij adjacentis non quidem pro-
latione, sed re Tolet. pag. 294. Est igitur non est integrum predica-
tum. Vide thesin 23. Ergo & unum saltem de uno predicatur.

35. Neq; ex trinarum seu ex non simplicissima licet inferre neces-
sario binariam seu simplicissimam. Non enim sequitur Chymæra est non
Ens. Ergo Chymæra est: Cum enim de non Ente, dicit Zabarella lib.
2. de prima rerum Mat. cap. 3. possit aliquid verè enunciari, non
licet

licet ex veritate Enunciationis inferre eius subiectum esse, quia potest non esse.

36. Enunciari Enunciatione simplici possunt quævis argumenta exceptis 1. plenis comparationibus: constant enim propositione & redditione. Ergo pluribus quam duobus terminis. 2. Distributionibus. Hæ enim in membra sunt Enunciationes copulata, in species Disiuncta. Dissentit Dounamus lib. 2. cap. 4. p. 569.

37. Excipienda etiam Diversa iudicant Scribonius in Triumpho pag. 124. Libavius Dial. 2. pag. 188. At simpliciter hæc etiam enunciari posse vel hæc exempla evincunt: Aliquis facundus non est formosus. Item: Ulysses non est formosus. Deinde dicimus omnia argumenta posse simplici axioma enunciari, ut innuamus non tantum hæc Enunciatione, sed composita etiam eadem Enunciari posse.

38. Hæc de Enunciatione simplici: Enunciatio composita est, quæ constat sensu sive sententia composita.

39. Dicitur composita, quod termini augeantur numero Libav. Dialogo 2. pag. 204. Includit enim enunciationes simplices non semper actu. Ergo nec $\alpha\beta\gamma\delta\epsilon$ composita dicitur ratione plurium Enunciationum simplicium, licet in plures resolvi possit.

40. Fundamentum enim composita Enunciationis simplex esse videtur. Enunciatio enim hæc, si Petrus est homo, est mortalis, valde esset infirma, nisi hæc simplici firmaretur: Omnis homo est mortalis.

45. Nonnulli à frequentissimo conditionalis usu, vocant eam Hypotheticam: Alij Secundariam. Confer. thesin. 28. Flacius pag. 276. Log. General. nominat eam Multiplicem ob terminorum copiam.

46. Copia hæc continetur vinculo Coniunctionis. At cave & hic intelligas primario conjunctionem Grammaticam. Nam 1. hæc sæpe abest, 2. Sæpe aliis particulis conjunctio mentis exprimitur, 3. Sæpe etiam Coniunctio Grammatica non plures terminos logicos, sed plures tantum voces conjungit. Talis igitur Coniunctio Enunciationem non Compositam, sed Simplicem constituit. Videatur Bisterfel. pag. 44. Flacius loco dicto.

Quid?

47. Quid? quod coniunctiones Logicae sint naturae priores coniunctionibus Grammaticis: Vnde h. e. ex illis natae ex iisdem legitime possunt distingui Beurhus. Disputat. Pub. 23. th. 5.

48. Vinculum igitur Coniunctionis est mentis & rationis nexus, quo sententiae multiplex coniungendo informatur, & quasi animatur.

49. Idcirco coniunctione hac affirmata vel negata, Enunciatio affirmatur, vel negatur.

50. Idcirco partes eius possunt esse negatae, vel etiam partium altera, & tota Enunciatio affirmata, uti si homo non credit, non salvabitur; quia vinculo partes non dissolvuntur Beurh. Diss. dict. the. 8.

51. Dividitur Enunciatio Composita pro sua Coniunctione in congregativam & Egregativam.

52. Congregativa est, cuius partes congregativa Coniunctione vincuntur, h. e. quae duas pluresve sententias congregat, G. Busch. in Para. p. 152.

53. Congregativa est copulata vel conditionalis. Copulata est cuius conjunctio est copulativa, ut Ramus fuit Orator & Calvinianus.

54. Adiuncta proprietate copulatae est duplex: 1. est de informando iudicio eius. Iudicatur enim vera, quando omnes partes sunt verae; Falsa autem quando vel omnes partes, vel una saltem est falsa. Coniunctio enim omnes partes, tanquam veras copulat. Quare si falsa pars cum vera misceatur, tota copulatio falsa iudicatur, & quidem ratione vinculi, non ratione singularium partium. Confer. Bisterfel. pag. 94. Hinc recte distinguitur inter totum axioma & totum axiomaticum: Totum quidem axioma in talibus est falsum, sed non totum axiomaticum.

55. 11. Est de Relatione, quae huic generi est affinis: Huius enim conjunctio est ipsa Relatio, ut Eclog. 3.

Tale tuum carmen nobis divine Poëta,
Quale sopor fessis in gramine

56. Hic iudicium copulatum est, ac si diceret: Sopor est fessis gratus, & sic tuum carmen nobis est gratum.

57. Relatio verò illa est multiplex, 1. Essentiae, 2. causae, 3. Quantitatis, 4. Qualitatis, 5. Temporis, 6. Loci, 7. Consequentiae. Relatio essentiae & loci ad simplicem potissimum Enunciationem refertur. Relationes quantitatis & qualitatis quatenus absolute enunciantur ad copulatam referuntur; Quatenus vero dicitur ad conditionalem. Ad quam etiam plerique referunt relationem causae, consequentiae, & temporis.

58. Enunciatio Conditionalis est cuius conjunctio est hypothetica, ut: Si quis diligit Christum, sermonem eius servat.

59. Conditionalis pars consequens sequitur ad antecedentem, Constituitur enim consequens in antecedentis virtute.

60. Itaque veritas eius non est ex partium veritate, sicut in copulata, sed ex partium connexionem. Itaque

61. Itaq; *Conditionalis est duplex, Necessaria vel contingens, quia connexio est necessaria vel contingens.*

62. Itaq; *conditionalis nihil ponit inesse nisi ponatur conditio, quam antecedens designat.*

63. Itaq; *in aperta conditionalis negatione non consequens, sed consequentia est neganda. Afirmatio enim intendit, & significat antecedentem partem esse causam, ex qua consequens efficiatur. Negatio igitur statuat illam non esse causam consequentis, & hanc ex illa non effici. Imò consequens saepe verum esse potest, etiamsi ex antecedente non inferatur.*

64. *Tantum de congregativa: Segregativa enunciatio est cujus conjunctio est segregativa.*

65. *Enunciat hæc quidem partes Enunciationis simul: Vnde rectè composita dicitur; Sed enunciat separando, & quidem discernendo vel distinguendo: Vnde in Discretam & disiunctam dividitur.*

66. *Discreta est, cuius coniunctio est discretiva: Notæ igitur eius sunt quanquam, tamen.*

67. *Enunciantur Discreta præcipuè illa, quæ ita disident, ut aliquando amice congregari possint, ut: Quanquam Vlysses erat facundus, non tamen formosus.*

68. *Iudicatur Discreta vera, & legitima si partes non solum vera, sed etiam discretae sunt; Falsa & ridicula contra. Duo igitur ad iudicium eius requiruntur. 1. est partium veritas, 2. Discretio. Partium veritas patet si discreta ad simplices reducat. Discretio verò cernitur, & intelligitur, si termini dissentientes disponantur.*

70. *His duobus requisitis opponuntur duo, 1. Veritati opponitur falsitas: Si enim omnes partes sunt falsæ, vel una saltem, discreta erit falsa, 2. Discretionis risus. Si enim partes non sunt discretae, Enunciatio ridicula esse dicitur. Est autem ridicula, 1. quando consentanea perpetua consensionis discernuntur, 2. quando pugnantia leviter præsertim his particulis, quanquam, tamen, distiguuntur.*

71. *Disiuncta est, cuius conjunctio est disiunctiva, ut: Aut homo est, aut bestia.*

72. *Adiuncta proprietas Disiuncta tribus comprehendere potest regulis, 1. est de vi affirmationis. Disiuncta enim affirmatio ex partibus statuit unam esse veram, scilicet de illa re, cui secundum canonem oppositorum attribuuntur.*

73. *Itaq; ante omnia attendendum est an etiam alterutra pars cum subiecto consentiat; Sin minus disiunctio est nulla, ut Angelus aut levis est, aut gravis.*

74. *Quinimò attendendum ad hoc an partes etiam omnes inter se dissentiant, & si medium dari possit, an omnes etiam sint enumeratae.*

75. *Est de significatione, & vi seu intentione partium contradictionis. Contradictione enim significatur non necessario alterutrum verum esse, seu vel tertium dari posse, vel neutrum verum esse. Confer. Douua. pag. 616.*

76. III. Est de iudicio *Disiunctæ*: *Disiuncta* enim est *necessaria* vel *Contingens*: *Necessaria* est quando partes sunt oppositæ & suis causis sine ullo medio.

77. Fundatur igitur *Disiuncta* terminorum necessario & immutabiliter *disiunctorum* affectione. At non consistit necessitas hæc in partium separatarum necessitate sed in necessitate *disiunctionis*. *Necessarium* enim est: *Iohannes* aut *vigilat*, aut *dormit*. At *necessarium* non est, *Iohannes* *vigilat*, neq; *necessarium* est, *Iohannes* *dormit*.

78. *Disiuncta* *contingens* est, quæ desumitur ex *contingenti disiunctione* ut quando *conditio* involvitur. Huius igitur iudicium est *opinio*.

Q V Æ S T I O X.

An enunciationis doctrina rectè etiam axiomatis vocabulo nominetur?

Verum quidem est, quod quando constat de rebus, in vocabulis debeamus esse faciles. At quoniam videmus, *Logicos* non exigui nominis controversiam de voce *axiomatis* movere, idèò extremis saltè, quod aiunt, labris eam degustabimus. A vocabulis enim non raro provehimur in rei perceptionem. *Scal. Exerc. 1. Sect. 1.* Et quid quæso intelligam, si tua perversa sit *Oratio*, *Scal. Exerc. 88. Sect. 2.* Sed ad rem. Qui *axiomata* pro *Enunciatione* usurpant, ipsius vocabuli naturam oppugnare multi videntur. $\alpha\epsilon\iota\omega\mu\alpha$ enim dicitur, quod sit $\alpha\epsilon\iota\omega\nu\ \pi\acute{\iota}\sigma\epsilon\omega\varsigma$. Significat igitur sententiam, quæ omnium, consensu est digna, ut sine ulla probatione assumatur. At tale quid de omni *enunciatione* affirmare non *pregnanti* caret absurditate. Quis enim *contingentia* omnium consensu digna esse censebit. *Regius lib. 3. Disput. Logic. pag. 22.* Qui verò vocem hanc convenientissimam esse iudicant, moventur potissimum usu & autoritate *Gellij lib. 16. cap. 8.* *Ciceronis de Fato, & 1. Thuscul. & aliorum Doctorum virosum*, qui vocem hanc generaliter sumunt pro *enunciatione*. *Scapula in Lex. pag. 171.* $\alpha\epsilon\iota\omega\mu\alpha$, inquit, apud *Dialecticos* significat *Enunciationem*, *Enunciatum*, *essatum*. Non absurde igitur *Enunciationis* doctrinæ vox hæc imponi creditur. Nā præclare *Horatius de arte Poet.*

Multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentq;

Quæ nunc sunt in honore vocabula, si valet usus;

Quem penes arbitrium est, & vis & norma loquendi.

Attelet, quod *notatio* ipsa congruat; de qua tamen neq; in totum hi autores inter se consentiunt. Nonnulli enim ita colligunt: quemadmodum *sententia* deducitur à *sentio*: ita $\alpha\epsilon\iota\omega\mu\alpha$ ab $\alpha\epsilon\iota\omega\varsigma$, quod significat *sentio* seu *existimo*. Toti igitur responderet *Vocabulum* hoc doctrinæ *Enunciationis*. Alij deducentes vocem hanc ab $\alpha\epsilon\iota\omega$, quod significat *dignum* censeo, ita concludunt: *Enunciationis* doctrina est sua luce manifesta, & per se digna, cui fides adhibeatur absq; ulla *ratiocinatione*. Si enim de ea dubitatur, nomen omittit, & dicitur *quæstio*. Ergo optime doctrinæ huic imponitur *vocabulum* $\alpha\epsilon\iota\omega\mu\alpha\ \tau\omicron\varsigma$; siquidem hoc tale quid nemine dubitante exprimit. Sed nimis multa de re minus utili. Nostram sententiam inquirentibus in collatione exponemus.

Quæstio

QVÆSTIO II.

Vtrum nomina significant naturã; An verò
ex instituto?

Antiquissima est quæstio de nominum significatione, *utrum naturã an verò significant secundum placitum.* Prius tenuisse Platonem vulgaris est opinio. Propugnatur verò sententia hæc his fundamentis: quorum primum sumitur à causis instrumentalibus. Instrumenta enim, quibus mediantebus nomina rebus imponuntur, sunt naturalia. Ergo & effectum seu nomina sunt naturalia. 2. A causâ impellente. Trahimur enim à rerum causis, quibus moti sic potius, quam aliter loquimur. 3. ab Auctoritate sacrarum literarum, seu exemplo Adami. Apellavit enim Adamus nomina omnibus suis cuncta animantia, Gen. 2. v. 10. Ergo & c.

Verùm Aristoteles in nominis definitione: nomen, inquit, est vox significans ex instituto. Et Scaliger Exerc. 244. tua, inquit, sententia nihilo est verior quam illorum amentia, qui à natura vocabula exoriri, atq; sese in ora hominum insinuare prodiderunt. Quare ab inductione argument abimur hoc modo: Si nomina sunt à natura, aut sunt à natura rerum quibus imponuntur, aut à natura imponentis eas rebus. At neutrum horum est. Ergo nomina non sunt à natura seu naturalia. Non sunt à natura rerum, 1. Quia res qualibet suum secum afferret nomen & λόγος: Esset n. sic nomen eiusdem rei apud omnes unū & idem. 2. Quia dantur eis à nobis, Gen. 2, 19. & 20. Ergo res creatæ ante nominis impositionem nomina non habuerunt. Ergo nec secum ea attulerunt. 3. Et qui quæso monstrabitur, unde naturaliter rei nomen insit, & qua facultate? Neq; à natura imponentis. 1. Quia non esset opus aliquid temporis attribuere linguis addiscendis vel docendis, 2. Quia omnes eodē Idiomate seu eadē lingua animi sensum efferrēt. Quare cū neq; sint scripta & sculpta in animo, neq; sese sine ullo adminiculo extra inferant, firmiter concludimus, nomina respectu imponentis non dici naturalia. Absurdi igitur, qui autumant infantes, ita à conversatione hominum seclusos, ut nullam audire possint vocem, Hebraicè, quando adoleverunt, locuturos. Absurdiores, qui ex nominibus nescio que mala vel bona predicunt. Scaliger Exercit. 266. Absurdissimi, qui nominis rationem ex astris querunt. Scaliger. ibidem.

Pro conciliatione sententiarum statuimus, nomina esse vel prudenter, habita ratione ipsius naturæ, rebus imposita; vel temerè, seu fortuito casu. Illa constant & Δεία & Φύσα, hoc est, rebus quidem à voluntate humana sunt imposita, sed tamen ita, ut ratio sit habita rei significatæ. Sunt igitur naturalia ratione expressioni, quia exprimunt aliquid naturale. Inde multorum nominum ratio reddi potest ex natura desumpta. At non sunt naturalia ratione possessionis: seu sunt voluntaria respectu principij producentis, at naturalia respectu subiecti sustentantis.



Hæc, quæ temerè rebus sunt imposita sola constant Deo, unde nec naturalia dici possunt, nec eorum vera potest dari notatio: vel si placet, distingue cum Zabarella inter materiam & formam. Nomina sunt naturalia ratione materiae, hoc est, respectu soni; at non sunt naturalia respectu formæ, h. e. articulationis. Seu: ad duo at-
tende. 1. Ad proferentem. 2. Ad proferendi modum. In proferente considera adiunctam facultatem, & instrumenta: horum enim respectu nomina non absurde dixeris naturalia. In proferendi modo tria nota. 1. Res, 2. Rerum imagines. 3. Voces: Priora enim sunt à natura: at voces à voluntate. Quando igitur dicitur in Genesi quod Adamus animantia nominaverit nominibus suis, intellige non de possessione, sed de convenientia Et relatione inter nominantem & nominatum. Adamus enim ipsas rerum naturas potuit introspicere. Imposuit igitur rebus convenientia nomina.

QVÆSTIO III.

An solus nominativus logicè dicatur nomen & solum
tempus præsens Indicativi Logicè dicatur
verbum?

Non in hoc jam inquiremus, sit ne de nomine & verbo agendum in Logica nec quomodo de his agatur; Sed an nō solus nominativus teneat vicem subiecti seu antecedentis; reliqui casus non item? sententiā hæc de re suam his exponit verbis Ramus Schola: Dial. lib. 5. cap. 3. Nec sanè, inquit, minus ridiculum, & ineptum, quod casus nominum & verborum neq; nomina dicantur, neq; verba. Hinc enim orta est stultitia, nescio quæ, primo Analyti: reprehensa & damnata, tanquam ex obliquis casibus nominum Enunciatio Syllogistica nulla fieret. Negativa igitur questionis proposita tener, & affecla eius cum illo. Gocl. 1. à pari confirmat assertionem hanc Rami: Fas enim est inferre: hæc linea est obliqua. Ergo est linea. Pari ratione fas est concludere: hoc nomen est obliquum; hoc verbum itidem est obliquum. Ergo est nomen vel verbum. 2. A natura adiuncti. Adiunctum enim rem ipsam seu subiectum insequens, & cum illo consentiens non destruit illud, sed potius conservat. Si enim subiectum non fuerit, nec adiunctum esse poterit, cum hoc ad essentiā rei accedat. At esse obliquum est adiunctum nominis. Ergo non destruit nomen. Ergo rectè concluditur: hoc nomen est obliquum. Ergo est nomen. Nam ab est tertij adiecti, ad est secundi adiecti val. & consequentia scilicet in positivis. 3. Ab obiecto. Quicquid occurrit in usu Logico Logicè, illud est Logicum quid. Atqui obliqui casus occurrunt in usu Logico Logicè, & quidem non in prima tantum mentis operatione, sed etiam in reliquis. Confer questionem subsequentem. Ergo &c. 4. Quid? quod verbum obliquum comprehendat sæpè sub se rectum, & hoc pro illo sæpè ponatur, ut experientia artem genuit Aristoteles lib. 1. Metaphys. cap. 1. h. e. gignere solet. Multas amicitias silentium diremit h. e. dirimere solet. At Rameorum hæc esca Logicis plurimis non est vespa. Obliqui casus nominum, dicit Logicus quidam, propterea

propterea nomina esse nequeunt, quia in quolibet nomine secundum perfectam rationem nominis est substantia & qualitas, ut in nomine, homo, videre est: at obliqui casus à substantia deficiunt, neq; illam amplius significant determinatè, & existenter, sed potius aliquid esse vel ipsius substantiæ, ut genitivus, vel de substantia, ut Ablativus, vel ad substantiam, ut Accusativus & c. subinferunt. Accedit, quod obliqui casus non possint subiecti vel prædicati locum occupare. Quando enim dico Lutherus docuit VVitebergæ, casus obliquus, VVitebergæ non est ipsum prædicatum, sed potius determinatio prædicati. Iam vero nomen Logicum est nota subiecti, sicut & verbum est nota prædicati. Quinimò quod obliqui casus per se non respiciant finem Logicæ, nimirum veri à falso discretionem.

Obliquum enim non est verum nisi propter rectum, seu nominativum & præsens Indicativi. At quicquid in Logica tractatur, illud confert ad Logicæ finem: inde proprietates finis ultimi esse dicitur, quod sit adequatus toti. Decisionem quæstionis aliqualem pete ex quæstione subsequente. Vberiore enim ad ipsam remittimus collationem.

Q V Æ S T I O I V.

An Enunciatio constans tempore præsentis Indicativi sit tantum consideranda in Logica?

Cohæret quæstio hæc cum præcedente, lucemq; ei inferre videtur. Et hanc igitur placet pro ingenij modulo explicare. Dividunt Scholastici orationem in enunciantem & non enunciantem. Oratio non enuncians est Imperativa. Ut: *Ite maledicti in ignem paratum vobis à condito mundo.* Deprecativa: ut Cicero pro Ligario: *Ignosce pater; erravit lapsus est: non putavit: si unquam posthac & c.* Optativa, ut *O mihi præterit referat, si Iupiter annos.* Interrogativa: *Quis novus hic nostris succedit sedibus hospes?* Enuncians Oratio primario est, cui per se verum aut falsum inest, ut: *Regnum est, dicit Plutarchus, male audire, cum facias bene.* Enuncians Oratio tantum consideratur in Logica; non Enunciativæ orationes ad Oratores & Poetas pertinent, Forseca lib. 3. Institut. Dial. pag. 105. Latius igitur multo patet Oratio quam enunciatio. Confirmatur verò sententia hæc. 1. Ab effectis. Nam faciunt Orationes non Enunciativæ ad hominum affectus movendos, excitandos, & dirigendos, quibus in rebus Poetæ & Oratores sint occupati: Ergò ad Rhetoricam κτῆσθαι etiam referuntur, & non ad Logicam. 2. A fine. Enunciatio enim est, quæ esse aliquid, aut non esse enunciat. At hæc enunciationes imperant, optant & c. Ergò esse aut non esse non enunciant. Ergò nec sunt enunciationes. Seu: Enunciatio est, cui verum vel falsum inest: at his neutrum horum inest. Hinc Philosophus lib. de Interpret. cap. 4. *Enunciativa, inquit, oratio est non omnis, sed ea, in qua inest verum aut falsum,*

quod non in omnibus inest, veluti precatio oratio est quidem, sed nec vera, nec falsa. Cetera igitur, inquit, quoniam artis Rhetoricæ, vel Poeticæ propriae sunt, ab hac arte omnes expelli ac repudiari debent. Quæ autem enunciativa est, presentis est considerationis. 3. Ab aliis & sine interno. Quodcumque tractatur in Logica debet esse accommodatum ad syllogismum, & demonstrationem, quæ est primum instrumentum Logicum. Atqui orationes non Enuntiativæ non sunt ad syllogismum & demonstrationem accommodatæ, ut apparet ex lib. Aristot. post. Analyt. Ergo &c.

Opponunt se sententiæ Scholasticorum ex recentioribus Logicis plurimi, existimantes, divisionem illam orationis nihil doctrinæ, nihilque utilitatis habere: imò falsum esse asserunt, dicere, dari nonnullas orationes, quæ nihil enuncient seu tales, quæ in totum ex territorio logico sint proscribendæ. Pugnant verò argumentis sequentibus, quorum. 1. Sumitur ab inutili imò falsa modorum distinctione. Distinctio illa vulgaris modorum in indicativum, Imperativum optativum &c. naturam verborum non distinguit, imò est falsa. Ergo à distinctione modo. ù horum petitur falsa Enuntiationum seu orationum Distinctio. Antecedens probat Ramus Schol. Grammatic. l. 14. p. 189. Dico, inquit, per species istas finiti modi, nihil verborum naturam distingui nil dividi sed omnes istos modos penitus inter se confundi, ut Indicativus modus sit conjunctivus, & conjunctivus indicativus et cum utroque imperativus & optativus sit permixtus. Adversus Grammaticorum commenta utor Ciceronis, Cesaris. Terentij id est, Latine civitatis usu & autoritate, ne temere iam pridem constituta artis fundamenta convellere videar. Exempla petantur ex ipso autore loco dicto. 2. Ab obiecto rationis. Circa quod versatur ratio, & in quo eius spectatur usus, illud est logicum quid, seu logicæ considerationis. Atqui circa enuntiationis modi Imperativi, optativi etc. Versatur ratio, Eiusque usus in his spectatur. Ergo etc. Minoris probatio petitur 1. ab exemplorum inductione. Nam fiunt etiã syllogismi ex modis istis reiectis, ut: qui meam aluerit matrem, meus hæres esto. Atqui Titius vel Sempronius meam aluerit matrem. Ergo meus hæres esto. Si saperem odissem Musas. At non odi. Ergo etc. Deinde à contrariis. Enunciatio ex modis enumeratis, et à Scholasticis ex logica relegatis, aut est ἄλογος aut ἑλλογος At non ἄλογος, quia nulla potest dari oratio unquam à doctis profecta, quin substratam habeat rationem. Hinc logica disciplina est omnium universalissima, cui succedit Grammatica & tandem hinc Rhetorica. Hinc discrimen logicæ & Rhetoricæ à Zenone datum à plerisque rejicitur, qui logicam pugno, Rhetoricam palmæ similem dicebat: quod latius loquerentur Rhetores: dialectici autem compressus. Ergo etc.

Pro qualicumque questionis decisione distinguimus inter Enuntiationem principalem seu primariam & minus principalem seu secundariam. Enunciatio constans tempore presenti Indicativi est primaria, reliquorum modorum enuntiationes sunt secundariæ. Nam enunciatio hæc: Titius disputavit, vel disputabit, de necessitate gradibus

libus, & præceptis contingentibus nunquam esset vera, nisi hæc Titus disputat, respondente sempronio, vera esset.

Q V Æ S T I O V.

An copula sit Enunciationis pars?

Certum est, requiri copulam ad Enunciationem. Nulla enim Enunciatio est sine verbo. Ergo nulla sine copula. At quomodo requiratur, & quomodo sese ad enunciationem habeat, controversum nimis. Zacharias Ursinus, & Calviniani superioribus annis tropum in copula quærentes, partem enunciationis copulam esse affirmarunt. Ramus in quadam editione, & recentiores multi cum illo partem prædicati eam esse sentiunt. Priores opinionem suam hoc modo evincere conati sunt. 1. A definitione formæ: quicquid dat esse rei, seu per quod res est, id, quod est, illud est eius formæ: at qui per copulam Enunciatio est, quicquid est. E. est eius formæ, & per consequens pars. Nam 1. Enunciatio simplex dicitur esse, quæ verbi vinculo continetur. 2. Ratione copulæ Enunciatio est affirmata vel negata. 3. Ratione copulæ enunciatio itidē distribuitur in species immediatas. E. copula Enunciationis pars sit necesse est, 1. à remotione reliquarum causarum. Copula non est causa efficiens Enunciationis; quia causa efficiens eius est vis mentis; nec materia; quia materia sunt duo termini: neque finis; quia finis est, ut aliquid esse, aut non esse iudicetur. Ergo manet, quod sit formæ, Et per consequens pars essentialis enunciationis. Posteriores statuentes copulam esse prædicati partem, nihil à veritate alienum dicere videntur. Confirmamur igitur horum sententiam hoc modo. 1. Copula facit, ut quod antea erat prædicabile, sit prædicatum. Ergo est prædicati pars, imò quasi eius formæ. 2. Officium prædicati est, manifestationem inferre subiecto. At prædicatum tantum abest, ut sine copula lucem subiecto inferat, ut nequidem sine ea sit prædicatum. Ergo non incommode copulam dixeris prædicati partem.

Superest denique tertia sententia, nulla ratione copulam partem dici posse, statuens. Confirmatur verò hæc ab inductione: Copula neque est materialis neque formalis enunciationis pars. Ergo nullo modo pars eius dici potest essentialis. Non est materialis pars. 1. Quia connectit partes materiales. Ergo non est una ex partibus materialibus. Esset enim copulæ dividenda copula in infinitum, cum nulla pars materialis seipsam connectat. 2. Quia copula nihil significat, sed consignificat, Zabarella in tabul. p. 129 Inde à Philosophis non dicitur κατηγορηματιν sed πρὸς κατηγορηματιν, hoc est, ad prædicatum.

Neque.

Neq̄ est pars eius formalis. 1. Quia copula non est argumentum. Ergo neq̄ est forma enunciationis. 2. Quia integrum predicatum est forma Enunciationis. Ergo non uada copula. 3. Quia forma totius est extensa per omnes partes. At copula sepe separat hanc partem ab illa, ut: homo non est bestia: Hic, esse bestiam, separatur ab homine. Ergo &c.

Verum conciliari non incommodè posse sententiam secundam cum tertia certò statuimus. Non absurdè enim ratione officij copulam partem predicati dixeris. Primam opinionem planè reijcimus. Divisionis enim fallaciam committit, diuisim sumendo, qua coniunctim erant sumenda: siquidem predicatum continet duo, copulam & predicabile: Quæ verò integro competunt predicato, soli ascribit opinio ista copula.

FINIS.




Fc 1249.
gn


ULB Halle 3
003 422 747


Bitte noch kein
Sammelbd. verwenden
nach Ausleihe
an Retro-Ecke
OK
Zurück!

VD 17







VI
no 6 [7]



UTATIO
DE
DIATIONE
PRIOR,

Quam
Amplissimi collegij Phi-
berrima Witebergen-
Academia

præsidio
NIS GISENII
Westphali, publicè
conabitur.

ARNOLDVS SCEV-
s Misnicus,
oris in novi Collegij audito-
horis matutinis.

ius lib. 1. Car. Od. 24.
d levius fit Patientia,
corrigere est nefas,

EBERGÆ,
anis, 1 6 0 7.

